



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri Petiti Philosophi & Doctoris Medici, Miscellanearum
Observationum Libri quatuor**

Petit, Pierre

Trajecti ad Rhenum, 1682

Cap. XX. Philoponus memoria lapsus in citando Platonis loco ostenditur.
Ficini error.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13245

CAPUT XX.

Philoponus memoria lapsus incitando Platonis loco ostenditur. Ficini error.

Oannes a professione *Grammaticus*, a studiorum contentione & patientia invicta *Philoponus* dictus, eodem memoriæ lubrico lapsus in *Platonis* loco indicando deprehenditur. In *commentario* scilicet ad lib. 2. de *Anima*, ubi de visu & iis quæ sunt visioni obeundæ necessaria disputat: & quamobrem hic sensus omnium sumptuosissimus a *Platone* dicitur, exponit: locum ubi *Plato* id dicit hunc in modum citat: Διὸ καὶ πολυτελεσάτην τῶν αἰθίσεων τὴν ὄψιν Φησὶν ὁ Τίμαιος εἶναι, διὰ τὸ πολλῶν δεῖθαι εἰς τὸ ἐνεργῆσαι τὰς ἀκελας ἐνεργέιας, ἡτερ αἱ ἄλλαι. i. Qua propter omnium sensuum maxime sumptuosum esse *Visum Timaeus* dicit, quod pluribus opus habeat ad proprias operationes obeundas. fallitur autem: non enim in *Timaeo* id scriptum est, sed in sexto πολιτειῶν. verba adscribam: Αἴρεσθαι (ἢν δὲ ἔγω) ἐνεργόκας τὸν τῶν αἰθίσεων δημιουργὸν, ὃσῳ πολυτελεσάτην τὴν τὴν ὄξειτε καὶ ὅραθαι δύναμιν ἐδημιουργήσετεν. i. age non animadvertisisti quam sumptuosam præ aliis, sensuum opifex efficerit potentiam qua aspicimus & aspicimur. Eleganter sane & venuste. Quomodo autem visus majores sumptus faciat, ibidem paulo post declarat his verbis: Εὐόσης που ἐν ὄμμασιν ὄψεως, καὶ ἐπιχειροῦνται τῷ ἔχονται χρῆσται αὐτῷ παρούσης ἡ χρέας ἐν αὐτοῖς, εὖν μὴ παραγένηται γένος τοιούτον ιδίᾳ ἐπ' αὐτῷ τῷτο πεφυκὸς, οἵδια ὅτι ἡτερ ὄψις ὄντεν ὄψεις, τά τε χρεώματα ἔσαι αὔρατα. Τίνοι δὴ λέγεται (ἔφη) Τάττα; ὁ δὴ σὺ καλεῖς (ἢν δὲ ἔγω) φῶς. i. Præsente oculis visu, ipsisque ad spectandum intentis, præsente item colore, nisi adsit & genus ter-

MISCELL. OBSERV. CAP. XXI. 61

tertium proprie ad hoc natura aptum, neque visus videbit quicquam, neque videri colores poterunt. Quidnam id esse dicis; quod tu lumen vocas. Nempe hoc supra alios sensus requirit visus, & eo nomine sumptuosus, quod cum aliis naturalis potestas, & sensile ad operandum sufficiat, visus præter hæc duo, lumen insuper requirat, sine quo frustra est potentia, frustra sensile. Cæterum in hac voce πολυτελεστιν, vertenda, non mediocriter hallucinatus est Ficinus; neque Platonis prorsus sententiam intellexit. Ita enim priorem locum interpretatur: Nunquid animadvertisisti, quam perfectam sensuum auctor vim fabricavit, ad id quod videre, & id quod videri dicimus? ceu πολυτελεστιν quod est simpliciter perfectum significet. Sed hæc & alia ejusmodi παρόργανα inscriptis magnorum Virorum, non tam ipsorum, quam humanitatis esse decrevi. Quæ ut de eorum gloria nihil minuantur; Sic vitio verti non debet cuiquam, quod talia observet publicæ utilitatis causa.

C A P U T X X I.

Loca duo Plinii emendata.

Ibro histor. nat. 35. cap. xi. in catalogo nobilium pictorum, nonnullas & feminas eadem arte illustres celebrat: Lala Cyzicena (inquit) perpetua virgo, Marci Varronis juventa, Romæ & penicillo pinxit, & cestro in ebore, imagines mulierum maxime, & Neapolitanum in grandi tabula: suam quoque imaginem ad speculum. Quid est Neapolitanum? subest menda; sed levi opera restituo: & Neapoli anum, supple pinxit. Alter locus est in trigesimo sexto cap. 5. Non postferuntur & charites in propylæo Atheniensium, quas Socrates fecit, alius ille, quam pictor, idem ut aliqui putant. Et ibi mendose scriptum pictor, qua voce expuncta, rescribe, Philosophus. Vera enim lectio est: quas Socrates fecit, alius